



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio**

**Coloniae Vbiorvm, 1645**

CAP. LVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10133**

SO R E I P O E N I T E N T I S

me prælium, in hoc ego sperabo. nam scio, fore mihi foris pugnas, intus timores: scio, rem mihi fore cum inimico valentissimo, cum adversario acerrimo; qui jam jam aderit armatus, iratus, & assumet secum septem spiritus, nequiores se, ac reversus novam pugnam dabit, ferocius aggredietur, eoque nitetur irrumperem, unde perturbatus excessit. Sed quid improbus mihi nocebit, si custos aderit timor tuus, Domine, ac de peccatis, in te commissis, dolor perennis? Immo fortiter ejicietur, fierietur, in fugam vertetur. Quod si etiam cor meum & anima mea suavissimi amoris tui flamma succensa flagraverit, ita ille perterbitur, ut ne faciem quidem meam sit passurus aspicere. Da mihi igitur, ut te metuam, ut te diligam, amor meus, fortitudo mea, lumen oculorum meorum; sed ita te metuam, ut metum hunc, non humilis & fracta timiditas, sed ingenua ac liberalis reverentia commoveat; ita te diligam, ut meum in te amorem non aliquid in cælo vel in terra conciliet, sed tu ipse solus obtineas, qui es amor verus ac certus, dulcedo ineffabilis, spes neminem fallens.

C A P. L V I.

HÆ sunt viæ mæ pravæ atque perversæ, quas longe à viis tuis ambulavi, omnibus fere diebus vitæ mæ. Ecce, vitam meam annunciavi tibi; posuisti lacrimas meas in conspectu tuo: ac tribularer, nisi scirem miserationes tuas, Domine, qui dixisti, Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat,

Pecca-